

sia doctor eximius, scripsit monachorum Regulam: quæ, sicut testatur B. Pater noster Benedictus (2), rectissima norma est vitæ humanæ, per quam ad celestem patriam sine offensione perveniatur. Ad horum itaque tam venerabilium Patrum documenta et exempla virtutum, tota Orientis Ecclesia multo tempore per monasticæ religionis sectatores insigniter floruit, sicut etiam paulo ante hæc nostra tempora beate memoriæ Anselmus primum Havelbergensis episcopus, post modum Ravennas archiepiscopus disputatione, quam ipse cum Græcis de pertinacia schismatis eorum habitam eleganti stylo conscripsit, testatus est. Hic cum esset a Lothario, Romanorum imperatore Christianissimo, ad Constantinopolitanæ urbis imperatorem apocrisarius missus, et subtiliter diversarum religionum statuta scrutaretur, vidit in monasterio, quod Pantocraton, id est Omnipotentis suæ dicitur, septingentos ferme monachos sub Regula beati Antonii Domino militantes. In cœnobio quoque, quod Philanthropon, id est amantis hominem, dicitur, vidit circiter quingentos monachos sub regula sancti Pachomii Domino servientes. Vidit etiam quamplura monasteria sub Regula beati Basilii jugum Domini suave portantia.

CAPUT IV.

De institutione et auctoritate Regulæ sancti Patris Benedicti. Quomodo per gratiam Dei floruit, et usque hodie floret.

Dominus noster Jesus Christus, qui sacratissimæ humanitatis suæ præsentia Orientem illustravit, quos digniores et sublimiores in Ecclesia sua habuit, beatissimos videlicet apostolorum principes Petrum et Paulum, vice sua destinavit Occidenti; quatenus Occidentis populi pretiosum fidei arcana, quod Petrus non per carnem et sanguinem, sed per inspirationem summi Patris acceperat: et item, Evangelium quod Paulus non ab homine, nec per hominem, sed per revelationem Jesu Christi didicerat, Spiritus sancti magisterio edocti, cum populis Orientis in eandem fidei plenitudinem concurrerent, et sic ex omnibus una Christi Domini sponsa non habens maculam aut rugam efficeretur. Porro eadem gratia, quæ ad instituendam roborandamque monastici ordinis disciplinam, prædictos sanctos Patres contulit Orienti, non inferioris meriti virum in dignatione misericordiæ suæ prærogavit Occidenti, sanctissimum videlicet Patrem nostrum Benedictum: qui non solum Antonii et Basilii spiritum, verum etiam, testante beato papa Gregorio, justorum omnium spiritu plenus, tanquam sidus purissimum et lucidissimum singulari prærogativa sanctitatis, superexcellentis puritate conversationis, signorum denique miraculorumque inæstimabili gloria ab Occidente usque in Orientem clarissime refulsit, ita ut quidquid Oriens in diversis Patribus divinis charismatibus habere se gaudet, hoc totum in uno sanctissimo Patre suo Benedicto, justorum omnium spiritu pleno, se possidere Occidens non immerito gloriatur. Scripsit namque idem reverendissimus Pater noster monachorum Regulam, quam diuturno virtutum exercitio non per hominem, sed per unctionem illius qui docet hominem scientiam, didicit: in qua mirabilis artifex Spiritus sanctus summam perfectionem et moderatissimam discretionem tam subtili connexionione copulavit, ut quantumcunque religiosus in ea inveniat unde adhuc proficiat; et quantumcunque pusillanimitas aut infirmus infirmitatis suæ in ea æque remedia inveniat. Quis enim, verbi gratia, adeo justitiæ tenax, quis, sanctæ religionis adeo fervens æmulator erit cui si gratia

(2) Bened. c. ult. Regulæ.

A duce datum fuerit, ut duodecim gradus humilitatis, qui in Regula describuntur, ascendat; et si crescentibus meritis eatenus profecerit, ut ad sextum et septimum, id est ad ultimum primi, et primum secundi senarii gradum perveniat, qui numerus perfectionem significans, et in iis gradibus humilitatis geminatus, dilectionem Dei et proximi, quæ est perfectionis summa, per Regulam doctoris demonstrat, nonne si se sine dissimulatione respiciat, si cunctos infirmantis conscientie angulos diligenter excutiat, nonne, inquam, vires suas metiens, defectumque sentiens, continuo lugens exclamabit cum Apostolo quod *qui putat se aliquid esse, cum nihil sit ipse se seducit* (Gal. vi.) Quis rursus adeo delicatus et infirmus erit, ut in observantiis Regulæ, jejuniarum suorum, vigiliarum, et laborum cæterarumque institutionum moderatissima discretionem dispositionum infirmitatis suæ congrua remedia non inveniat? Quocirca, quod idem legislator in ultimo capitulo ejusdem Regulæ dicit, in ea non omnem justitiæ observationem esse descriptam, et vocat eam minimam inchoationis Regulam, et ad perfectionis fastigium tendere volentes mittit ad doctrinas et regulas veterum Patrum, testante beato Bernardo, causa humilitatis facit, ne videlicet in describendo Regulam videretur se veteribus Patribus arroganter æquare, studens et in hoc humilianti conscientie suæ providere. Beatus quoque Gregorius vir apostolicus (3), non minus merito quam officio, commendat eam sermone esse luculentam, discretionem præcipuam, latenter auctoritate sua suadens monachis ut, relictis cæterarum institutionum consuetudinibus minus fortasse discretis, Regulam Deo dilecti Patris Benedicti discretionem præcipuam devoto corde suscipiant, et ad ejus normam cunctum vitæ suæ ordinem informant. In concilio quoque quod postmodum in Galliis celebratum est, communi decreto sancitum est, ut monachi, per provincias Galliarum et Germaniæ degentes, relictis cæterarum Regularum institutis, in omnibus cœnobiis suis Regulam prædicti Patris reciperent, et in omni conversatione sua formam ab eo præscriptam observarent. Ad hujus itaque sanctæ Regulæ exemplar plura per Italiam monasteria correcta, multa quoque per venerabilem Patrem de novo constructa sunt, in quibus multitudines monachorum in spiritu humilitatis Domino servientes, tanquam veri Israelitæ dignos pœnitentiæ fructus faciebant.

CAPUT V.

Quod beatus Benedictus, rogatu Cenomanensis episcopi, sanctum discipulum suum Maurum causa fundandi cœnobia ad partes Galliarum direxit.

Nec solum Italia, verum etiam Galliæ trina divisio, sacræ hujus, religionis bono odore respersa, jugum Domini suave et onus ejus leve, sanctæ videlicet Regulæ instituta suscipere laudabili desiderio gestiebat. Unde accidit ut vir magnificus, Cenomanensis urbis episcopus, legatos suos ad venerabilem Patrem Benedictum dirigeret, Flodegarium suum archidiaconum et Harderadam vicedominum suum, devotissima instantia petens quatenus ei aliquos sui monasterii fratres transmittere dignaretur, qui sibi in Galliis partibus cœnobia secundum instituta Regulæ sancti Patris edificare deberent. Beatus vero Benedictus convocans discipulum suum Maurum, quem ab infantia in timore Dei educaverat, ipsum cum aliis religiosis fratribus ad Galliæ partes direxit: ubi etiam cœnobia religione pariter et divitiis clarum construxit, magnæque multitudinis monachorum Pater effectus, signis et virtutibus ornatus quievit in pace. Fertur quod in

(3) Greg., II Dial., c. 30.

eodem monasterio libra panis, et hemina vini, quam sanctus illuc transmisit Benedictus, in memoriam antiquitatis atque ob tanti Patris reverentiam usque hodie reservetur. Abhinc per universas Galliarum provincias crevit et multiplicata est religio monachorum, sub Regula Patris Benedicti Christo Domino vero regi militantium; multique ad eam divina gratia inspirati confluebant, qui sacræ disciplinae officiis exercitati, de terra cordis sui fructum boni operis afferbant in patientia. Verum, succedenti tempore, irruentibus intra Gallias barbaris, cum dominus peccata populi sui multiplices paganorum incursione castigare decerneret, multa etiam cœnobia sanctorum aut igne cremata, aut ad solum usque destructa sunt: quæ vero remanserant, in tantam negligentiam resoluta sunt, ut antiquæ religionis vestigium vix in aliquibus monasteriis inveniretur. Cæterum gratia Domini nostri Jesu Christi, quemadmodum Ecclesiam suam, reifrigescente charitate et abundante iniquitate, variis tribulationibus flagellari permittit, nec tamen unquam ab ea viscera misericordiæ suæ claudit, ita nimirum ordinem monasticum, per infirmitatis humanæ corruptionem continue ruentem, temporibus opportunis per viros virtutum restaurare non desinit.

CAPUT VI.

Quod beatus Odo Cluniacensis abbas ordinem monachicorum collapsum per gratiam Dei strenue reparavit.

Hinc est quod beatus Odo, nobilissimi illius Cluniacensis cœnobii rector eximius, ad tantum sanctitatis apicem excrevit, ut Ordinem monasticum temporibus suis omnino in præceptum ruentem, secundum gratiam sibi a Domino collatam, per omnia in antiquum sacræ religionis vigorem restauraverit. Ut enim de ruina morum temporis illius breviter dicamus, cum cœpisset idem venerabilis Pater Odo in monasteriis suis distractionem disciplinæ regularis rigide, sicut oportebat, tenere, alii quidem monastici videntes quosdam de fratribus ejus subtales suos lavantes, vel ungentes, seu alia quælibet vilia opera facientes, silentium etiam studiose tenentes, etsi necesse fuisset, signis pro verbis utentes, nimio iracundia felle commoti: « O infelices, inquit, quid facitis? Quæ lex, vel quis Ordo præcipit, ut tam vilibus et servilibus operibus insistatis? Ubi, quæso, Scriptura hæc jubet ut manibus pro lingua utamini? Nonne ipsi Creatori injuriam facere convincimini, qui, relicto naturali usu lingue et vocis organo, manibus irrationabiliter tumultuamini? » Sed vir beatus, disputatorum et pseudomonachorum garrulitatem parvipendens, fratres suos ut in melius proficerent verbo et exemplo commonebat, sicuti etiam a religiosis viris evocatus fuisset, impiger pergebat, et cœnobia aut dissoluta ad distractionem Ordinis revocabat, aut nova fundabat. Plane quam rigide monachi ipsius disciplinæ censuram tenuerint, per hoc unum virtutis eorum indicium, quod ad demonstrandum in eis animi constantiam referre volumus, innotescere poterit. Quadam namque vice dum quidam ex eis iter agerent, mediis noctis tenebris a prædonibus circumventi, cum suis omnibus capiuntur, trahuntur, spoliantur, contumeliis afficiuntur, ad ultimum in vincula conjiciuntur, prædonibus sane mirantibus pariter et indignantibus, quod in tantis malis ipsis a se illatis, ne unum quidem verbum ab eis ullaatenus extorquere potuissent. Tanquam enim muti et elingues seu damna et contumelias non sentientes, in silentio durabant, quousque nocturnæ et matutinæ laudis solemnitate peracta, aurora quoque radios suos vibrante, linguam ad loquendum laudabili discretionem solverent, quam prius laudabiliore censura propter timorem Dei et Ordinis disciplinam coercuerant.

Nec modo in Galliis Ordinis sacri statum reparavit, sed etiam in Italia. Ad speciale quoque Sancti

A Benedicti cœnobia in Francia, ubi, sicut dicitur, sacratissimum corpus ejus requiescit, ipso beatissimo Patre Benedicto invitante perrexit, sicut in gestis ejusdem sancti Odonis invenitur. Cum enim quadam die monachi ejusdem loci in claustro sedentes contentionibus et scurrilitatibus occupari non erubescerent, sanctus Pater Benedictus cuidam monacho ante portam monasterii visibiliter apparuit, dicens ad eum: « Vade, et dic fratribus istis quod perversis moribus suis nimium me contristant: ideoque jam nunc vadam, ut adducam virum secundum cor meum de Aquitania, quatenus perversos istos corripiat, et Ordinis disciplinam in hoc meo monasterio restauret. » Stupet ille, celerique gradu ad fratres veniens, quod spiritualis eorum Pater mandaverat, cunctis audientibus, refert, consternatosque et attonitos reddit universos. Quærebant tamen inter se cum magna admiratione quisnam esset de quo Pater sanctus dixisset, ipsumque, sicut postmodum rei exitus docuit, beatum Odonem fore trepidi suspicabantur. Devotissimus itaque Patris Benedicti pedisequus Odo veniens ad prædictum locum, licet per multas tribulationes et contumelias, quas ab illis qui perniciosam libertatem magis quam regularis vitæ distractionem diligebant, passus est, tamen per gratiam Dei et adjutorium sancti Patris Benedicti laudabiliter satis Ordinis disciplinam in eodem monasterio reformavit. Cæterum speciale ejusdem Deo dilecti Patris Odonis cœnobia quod Cluniacum dicitur, quodque usque hodie maximum et nobilissimum refulget, maximum multitudine fratrum, nobilissimum possessionibus, divitiis et gloria; sed et monasterium de quo Pater Odo cum fratribus suis Cluniacum secessit, quam consummata fuerint, quamque perfecti et Deo digni in eis claruerint viri litteris traditum scimus. Unde et nobis duo jucunda valde miracula excerpta hinc nostro opusculo inserere placet, quatenus prudens lector ex his duobus cætera perpendere valeat.

CAPUT VII.

De fratre, in cujus manu micæ panis in pretiosissimas margaritas conversæ sunt.

Canon erat monasterii, quatenus fratribus ad mensam sedentibus refectione peracta micæ quæ de fragmentis panum deciderent, diligenter colligerent et insumerent, ne vel in hoc negligentia rei coram Deo invenirentur. Accidit autem quadam die ut unus ex fratribus, qui conscientie suæ non incuriosus servator erat, cum cæteris ad mensam residens, refectione peracta micas secundum consuetudinem collectas replicans in volam, digitis manus clausas teneret, atque cum multa cordis dulcedine lectioni intenderet; sed priusquam eas sumeret, repente ad nutum prioris lectionem finivit. Quid tamen ageret? Nec rejicere fas, nec sumere jam licebat, nimirum utrobique periculo prævaricationis occurrente. Itaque clausas manu tenet, cogitans hanc negligentiam culpam non nisi per confessionem et pœnitentiæ remedium aboleri posse. Dictis vero gratis, signo confessionis facto, priorem in partem trahit, et cadens in faciem veniam petit, cum multa cordis simplicitate negligentiam suam manifestans. Priore autem culpam ejus, sicut dignum erat, corripiente, et quid de micis fecisset inquirente: « Ecce, inquit, domine, in manu nostra sunt. » Cumque prior præciperet ut eas ostenderet, ille exerto brachio manum aperuit; et ecce in vola ipsius pro micis inventæ sunt pretiosissimæ margaritæ. Utinam laudabilem fratris hujus fervorem attendere dignentur quidam negligentes fratres, qui, finita lectione, si forte offulam in manu habuerint quam edere velint, aut si in siphulo aliquid remanserit quod ebibere cupiant, sine respectu timoris Dei id facere non verentur, cum utique sacri Ordinis consuetudo tradat, ex quo lector inceperit dicere: *Tu autem, Domine, ne-*

minem quidquam cibi aut potus sumere debere. Sed quid putamus quare omnipotens Deus tam gloriosum miraculum, et sicut videbatur, minus necessarium, in rebus quoque minimis facere voluit? Utique, propterea ut palam cunctis innotesceret quantum sibi placeant fratres in congregatione spiritu ferventes, qui non solum majora, sed etiam minima mandata propter timorem ipsius cum sollicitudine custodiunt.

CAPUT VIII.

De fratre moriente qui vidit multitudinem candidatorum ad se venire.

Frater quidam in Cluniaco, cum laudabiliter in omni fervore et devotione sacrae religionis vitam suam custodisset, tactus infirmitate peremptoria, ad extrema deductus est. Cumque jam morti proximam agonizaret, aperiens oculos vidit magnam multitudinem monachorum ad se intrantem, qui omnes candidis vestibus induti erant, illo suo genere vestimenti quod usu ecclesiastico alba vocatur, sicut solent conventus Ordinis illius in praecipuis solemnitatibus vestiri. Quos cum videret, putans conventum fratrum esse, mirari valde cepit cur ad se revestiti intrarent; et infirmario sibi assistenti, quasi cum quadam indignatione, dixit: « Quid est, charissime frater, quod video? Quando solebat conventus noster ad fratrem morientem revestitus venire? » Respondente infirmario et dicente conventum fratrum nondum venisse: « Quid est, inquit, quod loqueris? Nonne vides turbam magnam fratrum circa me, qui omnes candidissimis albis revestiti sunt; et ad exequias meas celebrandas mutuo se praeveniunt. » Quod cum infirmarius audisset, sed nil tale ipse videret, intellexit religiosum fratrem visionem beatorum spirituum videre. Post modicum vero sancta illa anima carne soluta est, et de convallibus plorationis, de tabernaculis Cedar, hoc est de nigredine peccati ad candidatos cives caelestis Jerusalem, quos adhuc in carne vivens videre meruerat, feliciter, ut credimus, transmigravit.

Praefato vero Cluniacensi cenobio post reverendissimum Patrem Odonem praefuerunt abbates religione conspicui, quorum praecipui fuerunt sancti et Deo digni, Maiolus et Odilo, modernis quoque temporibus beatus Hugo, qui, Ordinem Cluniacensem longe lateque per universas Europae terras et insulas propagantes, incontaminatum monastici Ordinis tramitem subditis suis tradiderunt. In eadem quoque magna et religiosa domo inter caetera spiritualis vitae exercitia, saluberrima et omni pietate plena consuetudo inolevit ut, pro liberandis animabus fidelium defunctorum, sancta illa fratrum multitudo devotis precibus missarumque celebrationibus sollicito invigilet, et aut penas addictarum mitiget, aut poenis omnibus absolutas in requiem transferri obtineant. Sed et praeter quotidianam orationum psalmodiarumque instantiam, solemniam pro fidelibus defunctis officia certis temporibus per annum fieri pia Patrum solertia in eadem domo decrevit, ita ut sollemnis dies fidelium animarum, quem post festum Omnium Sanctorum sancta et universalis Ecclesia celebri officio peragere consuevit, a Cluniacensi Ecclesia initium sumpsisse dicatur.

CAPUT IX.

Quomodo beatus Hugo Cluniacensis abbas paralyticum curavit. [Deplorat et hoc capite auctor negligentiam monachorum, et lapsam Ordinis Cluniacensis.]

Verum quoniam beati Hugonis, qui moderno tempore Cluniacensi cenobio laudabiliter praefuit, mentionem fecimus, unum ejus miraculum ad utilitatem legentium memorabimus: quod tanto erit jucundius, quanto recentiori tempore hoc gestum esse constat, quodque venerabilis viri Guillelmi, quondam superioris Sanctae Genovefae Parisius, postea vero abbas Paraclitii, quae est de Ordine

domus Sancti Victoris, certa relatione cognovimus. Apud Parisiorum civitatem existat coenobium regularium canonicorum: in quo quidam de fratribus ejusdem congregationis paralyti adeo dissolutus jacebat; ut sine adminiculo alterius de lectulo surgere non valeret. Venerat forte illic venerabilis Hugo Cluniacensis abbas, de ejus adventu fratres plurimum exhilarati, spem recuperandae sanitatis infirmo fratri non minimam conceperunt. Itaque accedentes ad virum Dei suppliciter postulabant quatenus apud omnipotentem Deum sanvitatem fratri diuturna aegritudine laboranti suis precibus obtinere dignaretur. Fertur autem in eodem monasterio esse media pars casulae beati Petri apostoli; quae, sicut dignum est, a fratribus in magna veneratione habetur. Sanctus ergo Domini, quod a fraterna charitate petebatur, negare non potuit; sed pro salute fratris infirmi Domini clementiam intimo pietatis affectu rogabat. Denique celebratis sacrosanctis mysteriis, accedens ad altare, supradictam partem casulae beati Petri reverenter inde tulit, veniensque ad infirmum, sacra eum veste operuit, tenensque manum ejus antiphonam illam moderata voce cepit cantare: *Petrus apostolus dixit paralytico*, duobus verbis in ea commutatis, scilicet pro *dixit*, *dicit*, et pro *Anea*, *Roberte*; tenendo manum ejus infirmus Robertus. Cumque tenendo manum ejus cantaret: *Petrus apostolus dicit paralytico*: Roberte, surge, et sterna tibi. (Act. ix), continuo surrexit, omni membrorum debilitate prorsus fugata; eun-ctique qui aderant, glorificaverunt Deum, qui virtutem beati apostoli sui Petri per merita venerabilis Hugonis declarare dignatus est. Tanto quippe facilius abbas sanctus tam gloriosum miraculum a divina largitate impetrare potuit, quanto hoc non suis meritis, sed specialis patroni sui beati Petri apostoli virtuti assignavit, cujus reverendo nomini se attululam esse nobilis Ecclesia Cluniacensis gloriatur: cuique sacrae venerationi fratrum universitas devotissime invigilat.

Sub talibus itaque tam sanctis et in omni religione conspicuis Patribus Cluniacensis Ordo clarissime refulsit, multisque exstitit odor vitae in vitam; ita etiam ut beatus Henricus Romanorum imperator Augustus ejusdem nominis secundus, cujus memoria apud Deum et homines in benedictione est, audiens famam religionis illius, Cluniacum adiret, oblatisque donariis et redditibus, prout imperialem magnificentiam decebat, fratrum se orationibus devotissime commendaret. Liberet nunc, si optio daretur, cum beato Petro apostolo exclamare: *Domine, bonum est nos hic esse*. (Matth. xvii). Bonum esset utique omnibus ad monasticam religionem apicem venientibus, ut Ordinis disciplina per sanctos Patres ad lineam veritatis correctata et renovata, inconvulsa perduraret, propulsata lethali negligentia, fervor sacrae religionis per omnia ubique vigeret. Sed quid agimus, cum sub sole nihil in eodem statu permanere posse. Sapiens plangat? Quid agimus, quod negligentia quae, pro dolor! in ipsa quoque religiosorum conversatione deprehenditur, ad vitia tam proclivis est? Vae semel, et vae secundo, sed et tertio! Vae tibi, negligentia, mater dissolutionis, rubigo mentium, tinea cordium, morum corruptio, disciplinae effugatio, religionis subversio, virtutum enervatio, mala bestia, vulpecula callidissima, quae tanta dolositate exterminas vestigia tua ut mordens non sentiaris, demoliens non videaris, et non nisi gravissimo damno peracto deprehenderis! quanta mala fecisti! quanta mala facis! quanta mala (quod Deus avertat!) non immerito factura timeris! O, inquam, detestanda negligentia, quam modica, quam exigua, quam nullius momenti videris in oculis hominum, ita ut etiam reprehensione vix digna judicaris! sed tamen qui te tam modicam spernit, paulatim decidit. Quis

crederet, si experientia fidem non faceret, guttulam, cum primum stillare leni lapsu coeperit, duritiam lapidis penetrare posse? vel quis annulum novum et rigidum digito immitti videns eum usu consumi posse putaret? Altamen verum est quod dicitur quia

Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu.

(OVID. de Ponto, IV, Eleg. 10.)

sic etiam (quod sine magno cordis dolore dicere non possumus), negligentia paulatim subintrans religionem exterminat. *Sanguisugae duae sunt filiae*, ait Sapiens, dicentes: *Affer, affer* (Prov. xxx). O quanti sunt, qui latas hujus saeculi vias, quae ad mortem trahunt, deseruisse et arctam angustamque viam, quae ad vitam ducit, apprehendisse videntur: sed quia pessima hujus sanguisugae, detestandae hujus meretricis, id est negligentiae complexum minime devitant, generant ex eo vipereo semine duas filias, ipsa matre sua deteriores, voluptatem scilicet et vanitatem, quae sine cessatione, sine omni prorsus interpolatione clamant miseram matrem suam, dicentes: *Affer, affer*. Isti sunt qui segregant semetipsos, animales spiritum non habeantes, qui habitum religionis gestantes, mentiri Deo per tonsuram noscuntur, qui non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus pro lege habent desideriorum voluptatem; qui cum nutriri deberent in croceis, amplexantur stercora: locati in loco pascuae, quotidie mutantur de pascuis ad pascua, et tamen moriuntur fame; quorum cibus est radix juniperorum, et siliquae porcorum; quorum vinum est fel draconum, de botro praevocationis amarissimo; qui, cum castimoniam corporis et sanctimoniam spiritus profiteantur, exemplum tamen mulieris nequam et procacis imitari non verentur, quae comedit in occulto, et tergens os suum dicit: *Non sum operata malum* (ibid.); qui in hujusmodi laetantur, et esse sub sentibus dissolutionis delicias computant. Et quid facient miseri, cum inspicere coeperit Deus? Certe rebus ipsis experimur quam non immerito propheta planxerit, obscuratum esse aurum, mutatum colorem optimum, dispersos lapides sanctuarii in capite omnium platearum (Thren. iv). Sed non est nostrum mordacius aliena vitia carpere, ne forte dicatur et de nobis quod lippientibus oculis ad nostra caecitantes, in aliorum vitis ceraam acutum. Legat qui voluerit Apologeticum beati Bernardi abbatis, quem scripsit ad venerabilem Guillelmum Sancti Theodorici abbatem. Inveniet quomodo obscuratum sit aurum, mutatus sit color optimum: ibi, inquam, inveniet quomodo nobilis illa religio Cluniacensis Ordinis, de qua multa jam diximus, quam, peregrinis et adulterinis consuetudinibus, imo desolationibus fuscata et obnubilata, a pristina suae puritatis sanctitastique integritate degeneraverit. Sed quorsum ista? Quid intendimus, alterius Ordinis et prius perfectissimam religionem, et postmodum miserissimam, quam hodie oculis nostris cernimus, dissolutionem replicando et inculcando? Nimirum ad hoc nititur intentio, ut nos qui per gratiam Dei in renovato et ad framentum veritatis per Cistercienses Patres correcto monastico Ordine, Domino militamus, ex aliorum ruina cautiore effecti, lavemus manus nostras in sanguine peccatorum, et semper memores simus, quod beatus Pater noster Benedictus in Regula praecipit negligentiam et oblivionem omnino fugere; illud etiam apostolicum continere ruminemus; *Qui stat, videat ne cadat* (I Cor. x); certissime scientes quoniam res nostra agitur, paries cum proximo ardet, (HORAT. Epist. I, 18.)

CAPUT X.

Qualiter fratres qui Cisterciensem Ordinem fundaverunt adhuc Molismo degentes divina gratia sunt illustrati.

Sed jam nunc operae pretium reor, generationibus futuris diligentius describere qualiter Cister-

ciensis Ordo sumpserit exordium, quamque copiosa benedictione gratiae Dei a principio sui perfusus sit, sicut partim per litterarum monumenta tradiderunt nobis viri sancti, qui ab initio sacrae hujus religionis auctores exstitere: partim vero majorum relatione didicimus, quatenus ii quos in saeculis superventuris, divina gratia ad Ordinem nostrum vocare dignabitur, si hanc nostrae parvitalis paginam, quam ad ipsorum consolationem elaboravimus, legere dignum duxerint, considerantes quam nobili regum mamilla lactati sint, erubescant filii degeneres inveniri. Porro ad hoc opus non solum devotio et utilitas rerum nos invitat: verum etiam necessitas nonnulla compellit. Monachi namque Nigri Ordinis, maxime in provinciis Germaniae degentes, ubicunque vel apud quoscunque possunt, sacro Ordini nostro derogare non cessant, asserentes sanctos patres nostros cum scandalo et inobedientia, contra voluntatem abbatis sui de Molismensi cenobio egressos fuisse: quorum quam sit impudens mendacium, subsequentis narrationis textus rem gestam enucleatius pandens, manifeste declarabit. Propositi nempe nostri est, divina favente gratia, non solum plenissima ratione, verum etiam gravissimae auctoritatis pondere obstruere os loquentium iniqua; fratribus quoque nostris qui haec hactenus fortassis adeo perspicue non noverant, ad refellendam malignosae detractionis falsitatem, instrumenta sincere veritatis testimonio subnixata contradere. O caeca semper stultae aemulationis impietas, quae cum oculis videat, ratione probeat, divino pariter et humano iudicio, Cisterciensem Ordinem super candelabrum virtutis et honoris exallatum, ut luceat omnibus qui in domo Dei sunt, claudes tinis tamen susurrus ab ejus amore et veneratione nititur avertere quos potest, quasi tantum sibi honoris accedat, quantum proximorum famae derogare potuerit! Verum, quoniam, secundum sententiam Apostoli, *non qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat* (II Cor. x), postquam litteris summi pontificis, cardinalium quoque et episcoporum, qui negotium tanta pietatis tractaverunt, ostenderimus quam rationabiliter, quamque auctorabiliter humano iudicio probatus et approbatus sit in initio sui Cisterciensis Ordo, consequenter etiam demonstrare curabimus qualiter divino iudicio approbatus sit.

Cunctis namque sanum sapientibus liquet omnipotentem Deum approbare religionem, quam tantis charismatum benedictionibus a principio sui perfundere, et in qua tantos, tantae perfectionis et sanctitatis Nazaraeos suscitare dignatus est. Sed quis digne aestimare, ne dicam referre sufficiet, quam praecclare in diversis mundi partibus, non solum in majoribus, verum etiam in minoribus quibuslibet Cisterciensis Ordinis domibus sacrae religionis vigor effulserit; quam sublimes in virtutibus, quam graves et humiles in moribus extiterint praelati; quam devoti et ad voluntariam paupertatem pro Christo tolerandam patientissimi atque ad omne opus bonum parati subditi; quam crebris revelationibus, supernisque visitationibus religiosae Ordinis personae sint glorificatae; quamque multi spontanea tribulationis angustia decocti, felici decessu absque igne purgatorio (quod quidem in alio genere hominum rarissimum est), transierint ad terram viventium, ad videndum Deum deorum in Sion. Ne tamen illustrium personarum copia nos ad loquendum inopes fecisse videatur, postquam ad exhilarandum devotos et ad reprimeendum detractores falsiloquos exordium sacri Ordinis diligentius descriperimus, etiam de reverendissimorum Patrum quorundam, videlicet abbatum Cistercii atque Claravallis virtutem studiis, aliqua breviter perstringemus, seniorum quoque qui in Claravalle purissimae religionis imitatores effecti, memoriam

sui posteris in benedictione reliquere; quatenus per hæc fidelis quilibet et devotus proficiat in fide roboratus, infidelis autem et detractor lividum cordis oculum purgans, religioso Ordini nequaquam detraxere, sed magis religiosorum devotionem imitari consuescat: aut certe propalatae veritatis radiis reverberatus malitiosæ derogationis materiam sibi subtractam esse, contabescens ingemiscat. Si quem vero movet quod Claravallensium tantam, et non etiam Cisterciensium seniorum mentionem fecimus, noverit nos ut Ecclesiæ Claravallis alumnos, nostrorum seniorum sacra studia familiariter et efficacius investigare potuisse; nec ea quæ de paucorum sincera conversatione, seu felici consummatione, ad absolutionem sponsonis nostræ descripsimus, innumerabilem servorum Dei, qui tam in Cistercio quam in universitate sacri Ordinis spiritales agones viriliter desudarunt, præjudicare sanctitati. Cum igitur, sicut supra diximus, in tantum negligentia torporem monasticus Ordo collapsus fuisset, ut venientibus ad conversionem, non tam profectus quam periculum multis in locis imminere videretur; nec spes ulla restorationis uspiam arderet, omnipotens Deus qui servos suos ab æterno præscit in tempore vocat et justificat, ut in æternum quandoque glorificet, dum medium silentium tenerent omnia, Spiritum sanctum suum de secretis caelestibus a regalibus sedibus misit in corda quorundam fratrum (Sap. xviii); qui in cœnobio quodam degebant, quod in Burgundiæ partibus situm Molismus vocatur.

Hi itaque servi Dei pauci numero, sed igne illo quem Dominus Jesus mittit in terram, et vult vehementer accendi fortiter inflammati, dum quotidianas Regulæ lectiones in capitulo audirent, et aliud Regulam præcipere, atque aliud consuetudines Ordinis tenere perpenderent, gravissime contristabantur; videntes se cæterosque monachos Regulam beati Patris Benedicti solemnem professione servaturos fore promississe; sed secundum instituta ejus nequaquam vivere. Primitus ergo privatim sæpius inter se colloquentes, transgressionem suam conquerebantur; et quoniam modo hujus tanti mali remedium invenire possint, sollicitè tractabant. Cum vero postea verbum effusum esset in publicum, cæteri qui carnales erant, nec poterant dicere cum propheta quia de excelso misit ignem in ossibus meis; et erudit me (Thren. i), servos Dei deridere, modisque omnibus, quibus poterant, ut a tam sancto proposito cessarent, infestare coeperunt. At illi qui Spiritu Dei agebantur, et propterea liberi erant, non curantes eorum malevolas infestationes, toto mentis annisu ad Deum conversi, precibus instantissimis postulabant, ut Domini pietas eos ad talem locum dirigere dignaretur, in quo vota laborum suorum, quæ secundum Regulam firmaverant, sed non servaverant, reddere possent. Deinde considerantes, quod Apostolus monet, non omni spiritui esse credendum (I Joan. iv); et quod Regula quam modis omnibus perfecte servare cupiebant, præcipit corripere eum qui sine permissione abbatis quidpiam facere præsumperit, abbatem suum humiliter adeunt, de transgressionem Regulæ querimoniam proponunt, voti sui ferventissimum desiderium pandunt et ut ejus consilio pariter et auxilio, quod Spiritu sancto inspirante mente conceperant, perficere possint suppliciter precantur. Nutu vero Dei ad horam compunctus abbas ille propositum servorum Dei laudat; et non solum consilium auxiliumque se præbiturum, verum etiam seipsum individuum comitem eorum in tam sancto proposito futurum firmissime pollicetur. Quo audito humiles spiritu fratres illi magnifice corroborati sunt, tunc primum intelligentes quod vere a Domino egressus est sermo, nec solum cordis sui in tali desiderio secuti sunt, sed dexteram Dei vivi virtutem operantis in eis.

CAPUT XI.

Quod dominus Robertus abbas, et fratres cum eo, desiderium innovandæ monasticæ religionis habentes, legatum sedis apostolicæ adierunt.

Itaque magnanimes viri, innumerabilem militum Christi duces et signiferi futuri, non tam novarum quam magnarum rerum totique mundo profutarum cupidi, cum assiduo tractatu quærerent inter se qualiter id quod pie cupiebant congruenti modo ad effectum perducerent, consulto rationis iudicio prudenter advertere loci vel Ordinis sui mutationem, absque sedis apostolicæ consensu, se præsumere nequaquam debere. Erat tunc in Galliarum partibus sedis apostolicæ legatus, venerabilis Hugo Lugdunensis archiepiscopus, vir religione, prudentia et auctoritate venerandus. Hunc prædictus abbas et fratres, qui desiderio innovandæ monasticæ religionis flagrant, adeunt astus et vota cordium suorum humiliter pandunt, consuetudines Ordinis a Regula quam erant profecti, nimium discrepare conqueruntur; et propterea manifeste perjurii crimen se scienter incurrisse dolendo fatentur. Adhuc præterea se vitam suam ex integro secundum instituta Regulæ sancti Patris sui Benedicti ordinare velle, et ut eis ad hoc liberius exsequendum, idem legatus sui juvenis robur apostolicæ auctoritate porrigat, constanter flagitant. Dominus autem legatus, cum esset prudens et discretus, consideratis subtilius allegationibus eorum, laudabiliter eos moveri pronuntiavit, ipsorumque spiritualibus votis letis auspiciis favens, tali epistola eos ad perficiendum tota libertate quod pia mente conceperant exhortatus est.

CAPUT XII.

Epistolæ Hugonis apostolicæ sedis legati, per quam Cisterciensium Ordinis exordium sua auctoritate fundatum est.

Hugo Lugdunensis archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus, ROBERTO Molismensi abbati, et fratribus cum eo secundum Regulam sancti Benedicti servare Deo cupientibus.

« Notum sit omnibus de sanctæ matris Ecclesiæ profectu gaudentibus, vos et quosdam filios vestros cœnobii Molismensis fratres, Lugduni in nostra præsentia astilisse, ac Regulæ beatissimi Benedicti, quam hucusque tepide ac negligenter in eodem monasterio tenueratis, arctius deinceps atque perfectius inhaerere velle professos fuisse. Quod quia in loco prædicto pluribus impedimentibus causis constat adimpleri non posse, nos utriusque partis salutem, videlicet inde recedentium, atque illic remanentium providentes; in locum alium, quem vobis divina largitas designaverit, vos declinare, ibique salubrius atque quietius Domino famulari utile duximus fore. Vobis ergo tunc presentibus, videlicet Roberto abbati, fratribus quoque Alberico, Odoni, Joanni, Stephano, Letaldo et Petro, sed et omnibus, quos regulariter et communi consilio vobis sociare decreveritis, hoc sanctum propositum servare et tunc consulimus: et ut in hoc perseveretis præcipimus, et auctoritate apostolica per sigilli nostri impressionem in perpetuum confirmamus. » Post hæc præfatus abbas et sui tanta ac tali auctoritate freti, Molisium redierunt et de illo fratrum collegio socios remissioris vite blanditias respuentes, ad puritatem simplicitatemque sacra Regulæ pure simpliciterque tenendam prompto animo flagrant, elegerunt, ita ut inter eos qui legato Lugduni astiterant, et illo qui de cœnobio vocati sunt, viginti et unus monachi essent, qui perfecte vite et Regulæ S. Patris Benedicti ad litteram tenendæ desiderio arctam et angustiam viam ingressi sunt.

CAPUT XIII.

Qualiter et quoto anno Dominicæ Incarnationis sancti Patres Cisterciensium Ordinis de Molismo egressi, eremum Cisterciensem adierunt.

Anno igitur ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo octavo, dominus Robertus Molismensis cœnobii in episcopatu Lingonensi fundatus abbas, et cum eo fratres, quorum Deus tetigerat corda, malentes cum dilecto Patre suo Benedicto pro Deo laboribus fatigari, quam vitæ hujus commodis resolveri, de Molismo egressi sunt, atque ad locum quem propositum suo congruum jam ante per gratiam Domini præviderant, id est ad eremum, quæ Cistercium dicebatur, alacriter tetenderunt. Qui locus in episcopatu Cabilonensi situs, et pro nemoris spinarumque densitate tunc temporis accessu hominum insolitus, a solis habitabatur feris. Ad hunc itaque locum horroris et vastæ solitudinis viri Dei venientes, tantoque illum religioni, quam jam dudum mente conceperant et propter quam illuc advenerant, habiliorem, quanto sæcularibus despiciabiliorem et inaccessibiliorem intelligentes, memoris ac spinarum densitate præcisa ac remota, monasterium ibidem voluntate Cabilonensis episcopi et consensu illius, cujus ipse locus erat, construere coeperunt. Eodem itaque anno, quo prædiximus, duodecimo Kalendas Aprilis, solemnem die natalis sanctissimi Benedicti, quem geminata lætitia tunc celebrem reddiderat, ob Dominicam Palmarum, quæ in ipsum occurreret, lætantibus angelis tabescentibus demonibus, Cisterciensis domus, ac per hoc totius Cisterciensium Ordinis religio per viros ad Christianam philosophiam penitus expeditos exordium sumisit, prudenti sane consilio, ut qui canonem divini servitii cunctumque vitæ suæ ordinem, secundum formam in Regula præscriptam disponere decreverant, hoc in ejus potissimum natali, qui legem per Spiritum vivificantem ad multorum salutem dederat, felici omine inchoarent. Ecce summus et æternus Pastor, qui relictis in supernis montibus, in æternæ viriditatis pascuis beatissimis ovibus, dignatione suæ gratiæ descendit, unam in hac lacrymarum valle errantem quaerere, novo miserationis suæ ordine caulas pietatis statuens, signum salutis super eas exaltavit, quatenus oviculæ ipsius moribundæ et languidæ, quæ spinis cupiditatum et voluptatum carnalium irretitæ, per silvas vitiorum vagabantur, audientes vocem turturis ad caulas pietatis invitantis veri Samaritani stabulum, vino penitentiae, oleoque remissionis peccatorum curandæ intrarent; demumque salutis signum veraciter apprehenderent. Sicut enim initio gratiæ, nascente Christo Domino Salvatore nostro, mundus, dum nesciret, pignus redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ suscepit; sic in diebus istis novissimis refrigescente jam charitate et abundante usquequaque iniquitate, omnipotens et misericors Deus ejusdem gratiæ suæ seminarium plantavit in eremo Cisterciensi: quod Spiritus sancti pluvia rigatum, spiritualis pinguedinis largissimum sumpsit incrementum, crescens et proficiens in arborem grandem, pulchram et fructiferam nimis, ita ut diversarum nationum populi tribus et linguæ, sub umbra ejus requiescere, atque de fructu ipsius se satiari gratulentur. Cæterum dominus archiepiscopus apostolicæ sedis legatus, cujus benedictione, præcepto et auctoritate tantum bonum stabile fundamentum acceperat, considerans paupertatem servorum Dei, et quia in loco sterili quem occupaverant, prorsus nec subsistere, nec ædificia construere possent, nisi personæ alicujus potentis adminiculo fulcirentur, scripsit ad illustrem principem Odonem tunc Burgundiæ ducem, petens et suadens quatenus pauperes Christi, zelum gloriæ Dei et monastici Ordinis habentes, fovaret et manuteneret eorumque necessitatibus secundum magnificentiam principatus sui subveniret. Cujus petitioni

et consilio dominus Odo Burgundiæ dux acquiescens, fratrum etiam illorum fervore delectatus, monasterium ligneum, quod ipsi in paupertate sua inceperant, de suis impensis totum consummavit, eosque ibidem in omnibus necessariis diu procuravit, terris etiam et pecoribus abunde sublevavit.

CAPUT XIV.

Quod locus ille, consensu Cabilonensis episcopi, ad cujus diocesim pertinebat, canonicè in abbatiam surrexit, et de recessu abbatis illius qui advenerat.

Eodem tempore abbas qui advenerat, ab episcopo Cabilonensi, ad cujus diocesim locus ipse pertinebat, virgam pastorem cum cura animarum jussu prædicti legati suscepit, et monachos qui secum advenerant, in eodem loco stabilitatem firmare regulariter fecit, sicque Ecclesia illa divino pariter et humano favore vallata, apostolica quoque auctoritate munita, in abbatiam secundum Regulam S. Patris Benedicti disponendam surrexit. Haud multo vero post elapso temporis spatio, Molismenses monachi voluntate domni Gaufridi abbatis sui, qui Roberto successerat, nuntios ad Romanam curiam destinarunt, a domino papa Urbano importune postulant, quatenus præfatus abbas Robertus loco pristino, id est Molismensi Ecclesiæ redderetur. Quorum importunitate dominus papa mandavit legato suo, venerabili scilicet Hugoni, ut, si fieri posset, idem abbas reverteretur, et monachi eremum diligentes in pace consisterent.

CAPUT XV.

De promotione beati Stephani secundi Cisterciensium abbatis. Qualia instituta ipse novello adhuc Ordini superaddiderit, qualiter etiam sub eo multiplicatus sit Ordo, et quibus virtutibus claruerit.

Post decessum sui pastoris (4) Cisterciensium Ecclesia adhuc pauper et modica convenit, de electione abbatis sine personarum acceptione tractatura. Et mediante gratia Spiritus sancti elegerunt virum bonum, nomine Stephanum, natione Anglicum, qui cum eis de Molismo exierat, virum conspicuæ sanctitatis, omniumque virtutum gratia decoratum, eremi amatorem et ferventissimum sanctæ paupertatis æmulatorem. Hic beatus vir in adolescentia sua exiens de terra et cognatione sua, limina sanctorum apostolorum peregrinus adiit. In quo itinere non otiosus fabulis, sicut fieri solet, occupabatur; sed cum socio suo divinis laudibus vacans, Psalterium ex integro quotidie decantabat. Peregrinationis autem voto peracto, cum ab urbe rediens Gallias intrasset, supra dictum monasterium Molisium adiit, ibique sacrum monastici Ordinis habitum suscepit. Postmodum vero, cum verbum innovandæ religionis in eadem domo motum fuisset, ipse primus inter primos ferventissimo studio laboravit, ac modis omnibus instituit, ut locus et Ordo Cisterciensium institueretur, cujus ipse postmodum, ordinante Deo, pastor et doctor eximius erat instituendus. Quod cum, donante Domino, sicut præfatus sumus, factum fuisset, tanquam fidelis et prudens dispensator, cepit illico devotissima mentis intentione tractare, qualiter Ordinem suum noviter fundatum, et adhuc in multis vacillantem, quippe nondum perfectis et meram paupertatem redolentibus institutionibus excultum, in melius proveheret et extolleret, talique moderamine roboraret, ut Domino Jesu fructum plurimum afferre valeret. Convocatis itaque fratribus suis, et habito cum eis consilio, tam ipse quam fratres ejus interdixerunt, ne dux terræ illius, seu alius aliquis princeps curiam suam aliquo tempore in illa Ecclesia teneret, sicut in solemnitatibus agere

(4) Agitur hic de obitu Alberici; huic enim successit Stephanus: exciderunt autem quæ de ipso Alberico scripta erant, ut post Manrique in præfatione monui.